

Q. D. B. V.
CONTRADICTI-
ONIS LABEM,

SEXTÆ ATQUE OCTAVÆ
DE CARNIS RESURRECTIONE
DISPUTATIONIBUS

ADSPERSAM,

quanta fieri potuit modestia,
eluit

P R A E S E S

GERHARDUS MEJER,

Lic. & Prof. Publ.

RESPONDENTE

ERNESTO CONRADI, Hamburg.

ANNO M DC XCVII. d. XXII. Septemb.

HAMBURGI, Typis CONRAUDI NEUMANNI, Senatus,
Gymnasij atque Scholæ Typogr.



Coll. diss. A
75, 66

a. LXXVI. 66.

DE CONTRADICTIONIS LABE

Thes. I.



Ub sexti atque nonagesimi anni auspicium Dn. Nicolao Lütkens, nostri tum Gymnasii præstantissimo civi, nunc aliam Rostochiensem ingresso, illud dederam negotii, ut circa imminens Paschatos festum prolixiorem elaboraret de Carnis Resurrectione Disputationem, ea pertractandam methodo, ut I. Possibilitatem lumini naturali non ignotam tueretur. II. Idem numero corpus actu iri resuscitatum, solam rationem consulentibus neutquam esse satis explorare cognitum asseveraret. III. Rationes utriusque assertio refragantium sub examen adeo moderatum vocaret, ut juvenilis ardoris se declararet victorem, nec debitæ majoribus reverentiæ memoriam abjecisse videretur. Nihil fingo causæ, verum singula tum *literis Viri* cujusdam eruditione pariter ac munerum dignitate *Illustris*, cui hoc institutum aperueram, tum Nobil. DN. L. PLACCII, mei ex meritissimo Præceptore plurimum venerandi Collegæ, testimonio dare possum comprobata. Illi adco non displicuit argumentum, ut calculum adjiceret : Hic vero in eandem se dudum ivisse sententiam commonstrabat, neque rogatus diffitebitur, quod paria mecum statuat; quamvis quædam Viri assertiones a Dn. Censore meo minus intellectæ obtorto ceperint collo in contrariam partem detorqueri. *Vind. Argum. p. 34.*

II. Nisi, quem modo memorabam, *Lütkenius* præter expectationem omnem animi mutasset propositum, atque studiis Gymnasticis, consilio nunquam poenitendo, integrum etiamnum destituerasset annum, minus laborarem, neque durum me cogeret necessitatis telum, adversus ullum vires experiri qualescunque. Eadem enim argumenta, quorum occasione nunc labes contradictionis mibi



SEXTÆ ATQUE OCTAVÆ DISPP. ADSPERSA.

mihi aspergitur, nunc curiosa prophetandi libertas exprobratur, *Rep. Arg. p. 7. lin. 24.* nunc aliae, quæ clanculum pungant, injuruntur notæ, integris sex mensibus ante fuissent censuræ subjectæ, quam in Germanicum transfunderentur idioma, id quod mense demum Septembri evenit. Nova enim non sunt, nec unius auctoris, *conf. Quest. Prælim. p. 8. & Animadv. p. 4.* sed mediocriter inquirenti obvia, neque sola versio he majus acquirunt robur. VI

III. Evidem nullus diffiteor, Opusculum Germanicum, quod talia meditatum specioso titulo: **Gründlicher Beweisfhum daß die Menschen von Gott eine Auferstehung zu erwarten haben**/ non poterat ad sedulam lectionem non invitare, visum mihi fuisse, antequam sua Hamburgenses Disputationes caperent primordia. Sed erant, qui judicium ferrent istiusmodi, quod ipsius Benevoli Censoris liceat eloqui stylo, qui altas in memoria egit radices: *Frontispicio illi Opusculum, ut albo nigrum, candido tetrum respondet: Animadv. p. 3. l. 1.* Qua in opinione sibi videbantur confirmari, advertentes titulum: **Gründlicher Beweisfhum/** quasi mitigandum esset effatum, non per solide probantia, sed per probantia tantum *argumenta* converti, dein omne præsidium in æquivoco Demonstrationis vocabulo quæri, *Rep. Arg. p. 7.* quasi vero per additum epitheton: **Gründlicher /** non exprasset homonymia omnis. Quemadmodum enim Censori meo licuit has notiones: *Declaravit solidissime, interpretari: hats auff's gründlichste dargethan Animad. p. 8.* Sic vice versa **gründlicher Beweisfhum** non qualiacunque, sed *solidissima* denotat argumenta, quæ cum Dialecticis, ipsius Censoris judicio, *Animadv. p. 9. l. 1. 2.* haudquaquam conveniunt. Mihi saltem tanti ponderis non videbantur prolatæ sermocinaciones, ut expedita meditationibus immutarem, neque poteram, fateor ingenuæ, in animum inducere meum, argumenta e Philosophiæ fontibus hausta sacri munieris, cui omne statuo

DE CONTRADICTIONIS LABE

pretium, nisi auctoritate, nendum arbitrabar, a Professoris Logici functionibus esse alienum, utrum rationes, a quocunque tandem vel Philosophiae Doctore vel Philosophante adhibeantur, idonea Dialeticæ an Apodicticæ præbeant exempla? dijudicare. Quod tanta, quam imitatione dignam Censor faventissimus æstimat, præstitum esse modestia, pro suo candore non potuit inficiari. *Animadv. p. s. lin. 24.*

IV. Hæc præfatus, perorasse mihi quidem videor, & quod in procedendi, ut loqui amant, modo nihil deliquerim, & quo jure Philosophica sustinuerim ac sustineam cujuscunque argumenta vocare sub censuram. Veritatis enim Logicæ investigatio ab omni προσωποληψίᾳ penitus abhorret, quandoquidem sita est in sola orationis naturæque rerum harmonia. Omnem præterea libidinis contradicendi, aut illum, a quo nunquam lacesitus eram, infestandi suspicionem temporum a me removet conditio, *vid. §. I. & II.* adhæc insignis auctorum, quos ante se *iisdem argumentis* usos ipse Censor suis probare Vindiciis allaborat, *conf. Animadv. p. 4. lin. 10.* multitudo. Quæ cum ita sint, qua mentis fiducia confirmabit veritatem enuntiati: *Mejerus Disp. llx. Hamb.* argumenta mea virgula censoria notavit. *Anim. p. 8. l. 5.* Enimvero hanc potuit unicam proferre causam, qui, quod nihil autoritatis profusus in me sibi competit quam verissimum esse, profitetur, *Animadv. p. s. l. 20.* quamobrem dicam meæ impegerit Disputationi: Cum in illa Disputatione argumenta mea legerem minus recte & neruose prolatæ, repetere illa volui syllogistice. *Animadv. p. s. l. 11.* Fidei quidem natura est, ut, quæ cum aliis communia sunt, instar peculii habeat; Sed mea dicere argumenta non ausim, quæ nec primus inventi, nec ex polivi speciosius, verum novo tantum charactere, ac forsitan ne illud quidem, donavi. Haud dubie meminerit Censor, hac se abusum esse probabili excusatione: *Quod pagellam meam, cuiuslibet attinet*

SEXTÆ ATQUE OCTAVÆ DISPP. ADSPERSA.

attinet, modestissimis verbis Latine est conscripta, suppressis nominibus Autoris & Disputationum, qua nemo laedi potuit, nisi qui laedi voluit. *Quæst. Prælim. p. 16. l. 21. sqq.* Non dicam, in gratiam individui minime vagi, sed certi atque determinati, pagellam fuisse exaratam, id quod verba *Dispp. Hamb. p. ss. §. 9.* secundæ paginæ illita & nondum memoriae lectorum per temporis intervallum excussa evidenter monstrant. Singulorum potius Lectorum fecero arbitrium, utrumne majori jure idem a me possit asseverari? *Quod Disputationem meam attinet, modestissimis verbis,* ne philosophandi quidem, multo minus curiosam prophetandi libertatem exprobrantibus, *Latine est conscripta, suppressis nominibus auctorum & tractatum,* nec unica Dn. Censoris enuntiatione prolata. *Quamobrem hac nemo laedi potuit, nisi qui laedi voluit.* Provoco intrepidus & causæ bonitate fretus ad complures, qui & Opusculum Germanicum & Disputationem Octavam suis usurpare oculis non sunt dignati. Dixerant idem ante Dn. Censorem alii, item boni, & que celebres atque sparta non inferiore defuncti. Horum agere hyperaspisten, aut primas inter hos sibi arrogare partes ecquæ flagitabat necessitas? Inprimis cum Argumenta dissidentium ne eo quidem ordine, quo a Censore sunt descripta, mihi sumpserim convellenda. Sed quo dilabor? Alium mihi præfixeram scopum, & quasi aliud agendo integræ satisfaciō quæstioni tertiae præliminari. *p. 9. sq.* Adeo non est difficile, Censoris elidere assertiones, si illud nunc ageretur. Solam volui asserere justitiam causæ, quam ipsius Censoris obsignare ncēmatibus est integrum: *Refert atque, utrum adversarium elegeris an inveneris.* Rixosi adversarium, ubi nullus erat, eligunt. *animadv. p. 10. p.*

V. Percepisti, Benevole Lector, nativam dissidii originem, neque poteris me, nisi titubante quid? quod reclamante conscientia, rixarum nuncupare auctorem, multominus interpretari sinistre, quod tertia vice & tribus scriptis per IV. menses identidem provocatus justam exordiar adornare apologiam. Nunc, si volupest

DE CONTRADICTIONIS LABE

est, quomodo & quot mihi contradictiones imputentur, non populari
trutina, sed aurificis statera expendamus.

VI. Tribus vero potissimum modis, nisi quædam loca præ-
ter spem sese meis subduxerunt oculis, insimulor contradictionis.
Primum d. 20. Maji per præteritionem : *Nolo hæc verba*: Resur-
rectionem carnis a bonitate pariter a justitia Dei potius requiri, quam
repudiari, Celeberrimus Dn. D. Fechtius T. I. Noct. Christ. p. 900. decla-
ravit solidissime, annumerare contradictoriis, ne immodestus
videar. Repet. Argum. p. 2. Dein d. 14. Jul. per binas argumenta-
tiones, vid. Quest. Præl. p. 8. thesi XIVta & sqq. dissolvendas. Qui-
bus ad extremum d. 2. Sept. annexitur opinicium, quo, ut scapham
scapham Plautina phrasí appellem, nihil est confidentiloquius: *Ego*
quidem artem hæc vere contradictionia conciliandi non didici. Si
quis ex Lectoribus artem hanc calleat, erit mihi Magister. Animadv.
p. 16. l. 3. Et denuo: *A parte mei est victoria.* ib. l. 39. Hæc eo
erant scopo commemoranda, ut juxta mecum assèquerentur om-
nes, quam parum mihi profuerit silentium, quo meum eram obse-
quium Ordini maxime Reverendo testatum relietur, conf. Magn.
Dn. D. Mayeri Ep. Refut. p. 4. Cepit interea contradictionis
me postulandi studium incrementa, ut a præteritione ad
argumentationes manifestas, ab his ad opinionem assurget oratio.
Si taceam ulterius, me procul dubio instar pulicis reputabit, qui
Excell. Dn. D. Mayerum, alibi Cynico comparatum, Animadv.
p. 16. l. 28. ob has non solutas contradictiones, quæ ad ipsum parum
pertinebant, canis propemodum loco habuit, Virum, Censoris non
minus ac mea laude majorem, istiusmodi verborum contumeliis
infecutus: *Veritus, ne, si admorderet, os reportaret cruentum.* Ibid. l. 3.
Quapropter si tandem aliquando rumpam silentium, & officium
potius meum quam personam læsura pesimasque consequentias
paritu-

SEXTÆ ATQUE OCTAVÆ DISPP. ADSPERSA.

paritura elidam, nec modestiæ transiliero limites, nec violatæ reverentiæ contraxero reatum, nedum dignus evasero, qui propterea e suggestu, loco minus congruo, reprehendar imprudentissime.

VII. Non possum, quin, quem modo laudabam, *Dn. D.* *Mayero* meum calculum scribendique ordinem adjungam. Hic ubi ad easdem contradictiones diluendas esset perventum, *vercor*, inquit, *ne lectores mihi sint indignaturi, si eos habeam pro tam bardis, obtundamque monendo, quæ jam per se ipsi facile intelligunt.* *Ep. Grat. p. 8. f.* Possem huic acquiescere judicio, quod longe mihi pluris est, quam otiosus sermo vel Censoris vel cuiusdam Philosophiæ Magistri. Verum enim vero faciles se mihi, spero, ac æquos præbebunt Lectores, si eorum patientiam rebus hisce levioribus impendam, ut desiderium tantopere flagitantis leniatur, exoravero. Neque in graviorem Amplissimi *Dn.* Censoris incurro reprehensionem, quippe cuius nitor veracitate: *Non sum ambitiosus, qui sua eloquia vult oracula haberi.* *Animadv. p. 3. f.*

VIII. Mirare autem, Benevole Lector, ab eo meas Disputationes contradictionum accusari, qui *tanti me aestimat, ut Filio suo, expectationis optimæ Juveni, nullis profecto precibus aut blanditiis meis adductus, verum, quod confido, fide ac dexteritate mea invitatus, me selegerit Praeceptorem, ex quo cum alia, tum Logicam & artem Disputandi addisceret.* *conf. Quest. Prælim. p. 10.* Quapropter fieri nequit, ut me legum contradictionis statuat ignarum. Et enim, meo ipsius iudicio, nimium suis foret consiliis præceps, primorum Logicæ principiorum rudi Filium, commissurus dilectum Rationalis Philosophiæ præceptis imbuendum. Et qui accuratam disputandi methodum solide doceret, ignorationis elenchi, quæ contradicendi legibus maximam partem æstimatur imperitus? Testem cire licet modo commendatum Ampliss. Tuæ Dignitatis Filium, quem ob industriam & morum elegantiam deamo, quanto studio requi-
fita

DE CONTRADICTIONIS LABE

sita veræ contradictionis interpreter, confirmem atque inculcem. Equis meorum, in quam spem erigor certissimam, Auditorum, quos sedulos habeo ac frequentes, contrarium asseverare sustinenti suam adjunget fidem? Nec est, quare festinationi meæ aut incogitantiæ ulla feratur contradictione accepta. Non enim soleo cæcos properando parere catulos, neque una die Disputationem, ut ut brevissimam, ordior & absolvo. Præterea major mihi, quem habitu scientiæ omni destitutum fingas licet, per Dei gratiam contigit memoriae felicitas, quam ut ventilata die XXI. Aprilis, quo sexta habebatur Disputatio, jam tum ad d. XIX. Maii, qui octavæ Disputationi sacer erat, oblitem oblivione. Ut silentio præteream, non esse prudentibus in more positum, ullum explicare thema, quin quod huic cognatum tradiderunt ante, sedulo relegant ac iterata cogitatione pertractent. Imo meæ illud credat fidei Censor, religioni me non esse habiturum, ingenue confiteri, si quid minus advertenti aliisque intento, aut ante sufficietrum veritatis examen, ex calamo effluxisset, quod veram redoleret contradictionem. Laudi merito datur Iaacco Peyrerio, quod sibi ipsi contradixerit. Nec vitio potest vel Feurbornio vel Jo. Lightfooto verti, quod ille suam de Sp. S. intercessione, vid. J. A. Quensted. P. III. Syst. p. 260. a. hic vero P. II. Opp. p. 940. suam de intermissa Græcæ versionis inter Hellenistas lectione revocaverit sententiam. Taceo ipsius D. Lutheri, apud Hackspan. P. II. Not. p. 738. & Franz. De interpr. p. 500. Magn. Pfeifferi, Dub. Vex. p. 204. Hugonis Grotii, apud Carpz, Hag. ad Libb. Symb. p. 400. Is. Vossii de Orac. sibyll. p. 267. 302. aliorumque retractationes, quarum gratia in ruborem non sunt dati.

IX. Mirare ulterius, B. L. mihi, per aliquot annos Logicæ Professori non indiligenti, contradictiones impingi circa ipsum controversial statum, qui est de valore argumentorum, actuali-
resur-

SEXTÆ ATQUE OCTAVÆ DISPP. ADSPERSA.

resurrectionem probaturorum. Etenim male habet Censorem, quod idem argumentum, in cuius asserti veritatem deinceps §. XV. inquiram, nunc solidissimum nunc dialecticum appellem, cum soliditas & probabilitas inter se adeo non convenient, ut sibi invicem opponi mereantur. *Quæst. Prælim. p. 8. 9.* Nihilominus a me per contradictionem, quam fingit, asserta miro sed aperto tantoque complectitur consensu, ut, me in eadē secum stare sententia, eodem, quo contradictionum postulaverat, loco se fatis dedisse probatum, *Ani-*
madv. p. 3. l. 22. suamque sententiam mea se confirmasse auctoritate, glorietur. *ib. p. 8. l. 11.* Nimia hæc est Ampl. Censoris liberalitas. Fateor, ac libens, quod a meo nequeam animo impetrare, ut contradictoriis, quæ non posse simul esse vera exploratissimum habeo, ad stipuletur. Atque hæc unica est causa, quare Pl. Rev. Dn. Censori, tantopere fluctuanti, non ausim suffragari, quamvis a mea sententia, quod ad arcem causæ attinet, postquam suam reddidit aliquanto mitiorem, non ab ludat penitus.

X. Dixerit vero, se alteri tantum contradictiorum, quas inihi tribuit, assentiri. Esto. Sed integrum ipsi, de suavi mecum consensione tripudiaturo, neutiquam erat, eligere, utram vellet, verum ea fuisset sectanda, quam tota Octava Disputatio exposuit luculentissime. Hoc flagitabant media hermeneutica, quæ sententiam, obscurioribus forsan & ambiguis vocibus in priori tractatu propositam, è posterioribus auctoris ejusdem scriptis, non vice versa, jubent indagare. Erat autem Octava Disputatio posterior. Ad hæc num S. literarum interpres mentem Sp. Sancti ex una scrutatur enuntiatione, incidenter, ut loquuntur, commemorata? an dogmatum veritatem ex propria sede, singula prolixius persequente, investigat? Si quid Sexta Disputatio de actuali exhibet resurrectione, incidentes fuerint enuntiationes & oppido paucæ, quarum sensum ex Octava, thema ipsum decidenti, eruisse omnis postulabat
equi

DE CONTRADICTIONIS LABE

æquitas. Hæc oculis cernet suis Dn. Censor, quamprimum opinionē præjudicata mentem liberaverit. Provoco ad omnes interpretandi scientiæ gnos & ambas Disputationes, quæ in litem impinguntur, absque partium studio perlecturos. Væ mihi! si ex una Dn. Censoris enuntiatione, tanquam reliquarum numero plurimum norma, fidiculis quasi admotis, mentem extorquerem, cui Opusculum integrum refragaretur. Quantis, quæso, me oneraret exagitationibus? Neque possem succensere Viro. Decet enim eloquiorum divinorum seculariumque interpretem artis hermeneuticæ multo esse peritiorem.

XI. Quid autem lucratur tandem Censor, eam seligendo contradictionarum, qua concedi comminiscitur, quod solidissimum pro actuali resurrectione argumentum a sana subministretur ratione? Nihil sane aliud, quam sibi ipsi bellum ut indicat. Statuit enim hac ipsa suam confirmari sententiam, *Rep. Arg. p. 2. l. 9.* quæ est: *Scientiam certam de Resurr. institui & lumine naturæ ipsam infallibiliter demonstrari non posse. Ib. p. 7.* Hæc quomodo concordant, alii dispiciant. Mearum erit partium, hoc pacto nequenter terminos, Censorem, quod propria cædat vineta, commonefacturos: *Quicquid e rationis lumine probari potest argumento, cui summa inest soliditas, illud non probabiliter tantum ex lumine naturæ constat, verum infallibiliter ex eodem potest demonstrari. Summa enim soliditas & probabilitas, utcunque maxima, quam maxime differunt. Anim. p. 8. f. Arqui Resurrectio C. c. Assumptionem hanc Ampl. Dn. Censor probat. Quæst. Prælim. p. 10.* Addat vero, si audet, præmissis conclusionem, & suæ damnnum intulerit sententiæ.

XII. Restat unicum thema huic Disputationi apprime necessarium, ut ipsas contradictiones, quarum reus postulor, ad Logicam exami-

SEXTÆ ATQUE OCTAVÆ DISPP. ADSPERSA.

examinemus analysin. Dicerem, stylum Censoris imitatus, anatomiam, nisi hæc mira, judice *Magn. Mayero*, Ep. Grat. p. 7. l. 2. nec diffidente Censore meo, *Animadu.* p. 12. l. 2. esset phrasis, cum verba, in primis technica, valeant ut nummi, nec ullum unquam *Anatomiae Logicae* viderim vel *Professorem* vel *Theatrum*. Docuerit vero examen analyticum quemlibet, me vix apparentis convinci potuisse contradictionis. Id quod tunc ipsius Censoris Benevoli enuntiat, cum aliunde dabo confessum.

XIII. Suppono, verè *contradicторia contradictoriis annumerantem*, præcipue si alias oris sic liberioris, non posse propter ea immodestum ne quidem videri. Ficum enim appellat sicut ficum, & rem nomine insignit convenientissimo. Verum enimvero *mea verba*, quæ instar capitis Medusæ toties objiciuntur, *contradicторis annumerans potest omni jure immodestus* saltem videri. Etenim de his ipse Censor sic sermocinatur: *Nolo hæc verba annumerare contradictoriis*, ne immodestus videar. Repet. Arg. p. 2. l. 7. Qui metus minime vanus fuerit, neque verba *Magnorum Virorum*, differat sibi ipsi Censor, sunt cassæ nuces, siquidem illis vis probandi inest. *Animadu.* p. 14. lin. 7. *Quamobrem relinquitur, verba mea neutiquam vera laborare contradictione.* Suppono ulterius: *Uubicunque diversus respectus habere potest locum, ibi nulla datur genuina contradictione.* Atqui in una ad minimum contradictione, quæ mihi affingitur, diversus respectus habere potest locum.

E. Minorem ipsius Censoris confirmat oratio: *Hæc quomodo inter se convenient, alii dispiciant.* Dicerem, idem argumentum diverso respectu posse dici & solidissimum & non solidum. Quest. Præl. p. 9. l. 3. Quod ne ḏωρὸν ἀδῶρον possit reputari, totam,

quæ

DE CONTRADICTIONIS LABE.

Quæ diversi respectus meminit, enunciationem ab gravi esse Viro, qui sarcasmos & ironiam & scopticum ingenium toto pectori de-testatur, *Animadv. p. 4. l. 4. & 10. p. 16. l. 18.* profectam statuo, atque hinc seriam esse colligo, fiducia minime fallaci. Sin mea, de quo totus dubito, me fallat ingenuitas, solidis nibiloscens id consequar rationibus, ut singuli evidenter intelligant, quod, absque omni respectus diversi subsidio, meæ Disputationes suam a contradictione immunitatem tueri possint quam constantissime.

XIV. Idipsum completa conficiam inductione binorum, quibus non apparentis, quemadmodum hactenus videri poterat, sed veræ contradictionis *Anim. p. 16. l. 3.* labes adsperrgitur, exemplorum. Quorum prius est, quod resurrectionem carnis ignotam rationi tota Octava propugnans Disputatione, in eadem §. X. p. 79. meum facere non potuerim illud *Magni Calovii*: *Resurrectio mortuorum naturæ lumine probabiliter constat*: solide doceri non potest, quin meæ dicam scribebam sententiae, a Dn. Censoris vero mente distarem proprius. Quæ ne gratis asserta censerentur, coguntur in argumentum: *Quicq. naturæ lumine probabiliter constat*, illud rationi non plane & penitus est ignotum, sed habet rationis argumenta probantia, licet non solida, ut revelatio. Atqui *Resurrectio secundum Mejerum* ē. Evidem ut suæ theses veritatem mea confirmaret auctoritate, modo recitatum negat syllogismum, vid. *Anim. p. 8. l. 11.* verum eadem fidelia binos erat dealbaturus parietes. Subnequit enim: *Quomodo inter se conveniant, actualitatem Resurrectionis rationi esse ignotam, & non plane & penitus ignotam*, alii dispiciant. *Quest. Præl. p. 8.* Ignoscat æquissimus Censor, quod de hac mota contradictione juxta cum aliis ipse dispiciam, optimus meorum verborum interpres. Utique Octayam inscripti Disputationem: *Resurrectio carnis igno-*

ta

scup

SEXTÆ ATQUE OCTAVÆ DISPP. ADSPFRSA.

ta rationi, eo nimur sensu, quo possibiliter resurrectioni notam esse rationi, Sexta probaveram Disputatione, quæ notitiam ejus exposuerat scientificam, cui nihil posset falsi subesse. §. IX. p. 55. Hanc tituli fuisse mentem, prima interpretatur thesis: *De mortuorum resurrectione non habemus e naturali rationis lumine demonstrationes.* p. 74. Monet idem primaria Disputationis propositio: *De sola carnis resurrectione, utrum per rationem evidenter innotescat, an minus? tradam enucleatus.* p. 75. Huc pertinent aliae itidem phrases: *A ratione certo non potest definiri;* §. 6. p. 70. *Certo ergo infallibiliter non evincitur; &c.* §. XI. p. 79. Quapropter optime inter se conveniunt enuntiationes in controversiam vocatae: *Actualitas Resurrectionis ignota est rationi* id est, a ratione certo definiri ac infallibiliter evinci demonstrationibus, perinde ac ipsius possilitas, nequit; Et *Actualitas Res. rationi non est penitus ignota*, id est, potest probabilibus rationibus, quibus contradici tamen possit, quodammodo verosimilis reddi, quandoquidem rationis lumen adūvāτοις ipsam accensere non sustinet. *conf. Disp. Hamb. VIII. §. X. p. 79. §. XIII. p. 80.* Paucis: Prædicatum prioris enuntiationis agit de notitia certa, evidenti, apodictica, cui non possit intellectus denegare assensum: Posterior autem propositio exponit de opinione s. notitia probabili, cui assensio absque oppositi formidine nequeat præberi. Ecquæ igitur vera datur contradic̄tio? cum prædicata non accipiuntur οὐσαύτως, nec iidem in enuntiationibus mentalibus termini adhibeantur. Id quod tirones, qui Logicæ præcepta primoribus gustarunt, labris, ac extremis, ut dicunt, digitis attigerunt, præterire non debebat, Censori autem meo ex Log. Hamb. p. 320. 25. p. 564, o. non poterat non innouisse.

DE CONTRADICTIONIS LABE

XV. Quibus positis, in proclivi est solvere objectionem, quæ syllogismo absolvitur Categorico multiplici. Gaudet enim majore termino adversative composito, enuntiationem includente copulatam, quæ membrum utrumque ponat. Licebit ergo eundem in binos resolvere syllogismos primæ figuræ, quorum alter negatus, alter affirmatus, istas colligunt conclusiones:

a. *Resurrectio mortuorum non est rationi penitus ignota.*

c. *Res. mort. habet rationis argumenta probantia, licet non solida ut revelatio.* Priorem largior, eo, quem traxi, sensu, neque illa meis assertis est fraudi. Non enim status questionis est, prout *Quest. Præl. p. 16.* & *Animadv. p. 10. f.* formatur: *An resurrectio mortuorum naturæ lumine aliquo modo sit cognita?* Verum questio est de pondere argumentorum, utrum satis valide Resurrectionem probent. Id quod ipse Censor facit testatum. *Animadv. p. 8. l. 7.* Posterior autem conclusio iudicæquivocatione, a qua liberatur, quamprimum ex B. Calovii sententia major hoc restringitur modo: *Quicquid naturæ lumine non nisi probabiliter, siue probabiliter quidem neutquam vero solide, constat, illud quedam habet rationis argumenta dialectice, nulla vero solide probantia.* Hoc pacto tantum abest mihi ut repugnet, ut faveat & patrocinetur. Tandem quærentes e B. Calovii manibus: Quibus ex naturæ lumine probabilitet constare resurrectionem, affirmari? Hoc, nisi me fallunt omnia, tulerimus responsi: *Ius, qui scripturæ fidem habent.* *Theof. Pos. p. 509. m.* Arguat hinc, per me licet, Ampli Dn. Censor: *Quicq. scripturæ fidem habentibus non nisi probabiliter ex naturæ*

SEXTÆ ATQUE OCTAVÆ DISPP. ADSFRSA.

naturæ constat lumine, illud rationi a scriptura nondum illustrata non penitus est ignotum, sed habet rationis argumenta evidenter probantia. Atqui Resurrectio carnis &c. E. Dicam aperte, nullam in majore quidem propositione connexionem extremorum a me deprehendi. Etenim scripturæ fidem habentes non pauca e rationis lumine probabiliter intelligunt, cum justitiae divinæ tum omnipotentiae objecta, quæ rationem sibi relatiā fugiunt, aut contradictionem involvere omnis reconciliationis nesciam ab eadem judicantur. Et quid impedit? qvominus Calovianæ menti verbisque convenientissime hoc modo argumenter? Quicq. ne ab iis quidem, qui scripturæ fidem habent, ex naturæ lumine potest solide doceri, illud rationi hominis sibi relicti non est certo cognitum, sed omni destituitur rationis argumento evidenter probaturo. Atqui Resurrectio carnis &c. conf. B. Calov. Th. Pos. p. 569. E. Quæ addit Dn. Censor: Argumenta probantia rationis non adeo esse solida, ut revelationis, Quæst. Prælim. p. 8. nullatenus veniunt in discepcionem. Ecquis enim iverit inficias, ἀπό δειξιν πνεύματος οὐδὲν δυνάμεως 1. Cor. II, 4. majorem animis regenitorum ingenerare firmitatem, quam ulla Mathematicorum possit demonstratio, quandoquidem illa minus dubium tutiusque immunitatis ab omni errore atque falsitate privilegium est consecuta. Hæc habens perswasissima, non potui satis demirari, quid Ampl. Dn. Censori venerit in mentem, quando suis Lectoribus est persuasurus, quod hisce Opusculi Germanici vocibus: Wird ihm Gott diese natürliche Wahrheit noch gewisser zu erkennen geben / haud obscure asseruerit, per terminum complexum: Gründlicher Beweisthum / probabilem tantum veritatem significari. Rep. Arg. p. 7.

DE CONTRADICTIONIS LABE

p.7. Quasi vero notitia naturalis de Numinis infiniti existentia, quam demonstratione stricte dicta posse probari Pl. Rev. Do. Censori est satis testatum, *Quæst. Præl. p.7. l.21.* per Sancti Sp. illuminationem nequeat certior reddi atque confirmatior. Quæ nisi afferuntur pagina Animadversionum decima quinta, l. 31. fgg. invenerint quædam l.c. notitiae Dei naturalis hostes, de quibus impense sibi gratulentur.

XVI. Proximum est, ut posterius discutiam exemplum, quo mihi ipsi grandem perhibeor dicam scripsisse. Argumentum a Dei bonitate petitum videor *solidissimum* appellasse, neque majus tamen ipsi tribuisse, quam *Dialecticum, concludendi robur.*

Quæst. Præl. p.9. l.1.2. Hæc vero, si a me tradita essent, in concordiam negotio non difficili redigerentur. Etenim asseverare sustinerem, quibusdam argumentis, Dialectico concludendi robore polentibus, summam in suo genere soliditatem posse vindicari. Veturum prioris asserti: *Argumentum a bonitate Dei (paterna) est solidissimum,* *Qu. Præl. p.9. l.1.* neque tota thesi septima neque pagina tertia & quinquagesima, *Disp. VI. Hamb.*, ad quam Ampliss. Dn. Censor l.c. provocat, vel vola datur vel vestigium. Contrarium potius decima quarta octavæ Disputationis detegit positio: *Non minus modeste, ac Jacobus Martini censuerat, §. XIII..* statuendum de illis est argumentis, quæ a Dei paterno erga pios animo, sive paterna bonitate, accersuntur. *Disp. Hamb. VIII. §. 14. p. 80.* Unde argumenteris licet: *Quic. argumentum à Dei paterno erga pios animo petitum probabilibus ac de Resurr. balbutientibus accenjet, quibus contradici posse nemo neget, ille solidissimum idem esse non affirmat.* Atqui Mejerus vid. *Disp. Hamb. VIII. §. 14. coll. § 13. p. 80.*

XVII.

SEXTÆ ATQUE OCTAVÆ DISPP. ADSPERSA.

XVII. Attamen causam suam, ne quid celem, Pl. Rev. Dn. Censor ex alio quodam loco videtur peroratus: *Noratu quoq; dignum est, quod legitur Disp. Hamb. p. ss. §. 9: Resurrectionem carnis a bonitate pariter ac justitia Dei potius requiri quam repudiari, celeberrimus, quem modo laudabam. Dn. D. Fechtius T. I. Noct. Christ. p. 900. declaravit solidissime. Hinc oritur argumentum: Quicq. ex bonitate & justitia Dei declaratum est solidissime, illud a rationis naturalis probatione non est alienum. Atqui Rej. Mortuorum. E. Quest. Præl. p. 8. Integrum, spero, fuerit mihi, chartæ spatiis excluso, respondere paucissimis. Pernego assumptionem verbis posse meis comprobari. Fiat enim prosyllogismus: Quidam affirmat T. i. Noct. Christ. p. 900. declaratum esse solidissime, quod Resurreccio a bonitate pariter ac justitia Dei potius requiratur, quam repudietur, ille statuit Resurrectionem ex bonitate & justitia Dei declaratam esse solidissime. Ignoscat Ampl. Dn. Censor, ignoscet verò professus: *Sibi non fieri injuriam, si quis argumenta ipsius expendat, Animadv. p. 3. l. 28.* quod hæc propositio mihi vix verosimilis fiat. Aliud enim est, affirmare, nihil esse causæ, cur resurreccio impossibilis, tanquam bonitatem vel justitiam Dei violatura, reputatur, quandoquidem tantum absit, his ut repugner attributis, ut ab iisdem potius requiri videatur. Aliud autem est, largiri, quod Resurreccio ex bonitate & justitia Dei possit demonstrari. Posterius ne Celeberrimus quidem Dn. D. Fechtius Tomo I. Noct. Christ., de Sacris enim Schediasmatibus nunc non disquiritur, voluit affirmatum ire, quippe cui unice constitutum erat illa, de qua controvèrtitur, exercitatione probatum datur, quod contradictionem implicit nullam, ne voluntatis quidem divina respectu, hominem de-*

DE CONTRADICTIONIS LABE

defunctum ad vitam revocari. Tom. I. Noct. Chr. Exerc. XI. §. XI. p. 903. Hoc ipsum solidissime declaratum esse, non Sexta tantum concessi Disputatione, §. 9. p. 55. verum Octava denuo inculcavi, ut de illius sensu erraretur minus: *Naturae lumen nullam hic comprehendit, vel ex parte agentis vel ex parte objecti vel ex parte modi agendi, impossibilitatem.* Id quod solide Hildebrandus & Carpentarius derunt comprobatum, ab exceptionibus vero Chamier, Prideaux & Magn. Fechtius T. I. Noct. Chr. p. 896. sqq. vindicarunt. p. 76. §. 4. Alioquin ex Dei bonitate non posse declarari solidissime, quod idem numero corpus velit Deus resuscitare, statuo hactenus. conf. §. XVII. f. Neque multo validius est argumentum, sic Disp. Hamb. VII. §. 10 p. 87. asserebam, quod vindicativa Dei justitia subministrat. Hanc animi mei sententiam ex ipsa vocum perspicuitate Magn. Dn. D. Fechtius percepit luculentissime, quod, pace tanti Viri, in quo colendo patriam mihi constitutam arbitror sanctitatem, ex humanissimis literis d. IX. Jun. ad me datis benevolentissime, liceat commemorare: Non diffiteor, plus me roboris illi argumento, quod ex justitia Dei, non omni, sed vindicativa deducitur, tribuisse, aīḡ etiamnum tribuere, quam Tibi videtur & Tecum plerisque omnibus Theologis nostris. Quod si volupe est, animum studiose advertat B. Lector. Magn. Dn. Fechtius negat, me summam argumento ex justitia Dei vindicativa deducto soliditatem assignasse, quandoquidem plus roboris ipsi tribuit, quam mihi videtur. Censor vero meus identidem illud affirmat. Quæst. Præl. p. 19. l. 6. p. 26. l. 1. Animadv. p. 8. l. ult. Utri major est habenda fides? Complura sane sunt rerum pondera, quæ pro Dn. Fechtio militant.

XVIII. Quibus confessis expeditisque omnibus, pergit Ampl. Dn. Censor ingeminare, quod Mayerus a Mejero quoque suo dissentiat.

1148

SEXTÆ ATQUE OCTAVÆ DISPP. ADSPERSA.

tiat, *Animadu.* p. 8. l. 33. & *Censorem* ex cæco veritatis amore castigare voluerit, ut Mejer overitatem æque ledenti lumbi dolerent: *Quæst.* *Præl.* p. 10. ruinoso fuerit nixus fictatum contradictionum fundamento. Pergat confirmare, se artem hæc vere contradictionia conciliandi non diduisse: *Anim.* p. 10. l. 3. propriam ad minimum non tenebatur turpitudinem & vincibilem affectatamque ignorantiam conficeri. Pergat palpum obtrudere incautis: *Si quis ex Lectoribus* artem hanc calleat, erit mihi Magister: *Anim.* p. 10. l. 4. nec immemor vivat reverentiæ, qua discipulus suo vivit obstrictus Magistro. Nullus enim fuerit Lectorum, ne Filius quidem proprius, nisi absque ratione valeat auctoritas, aut animus forsan in me malevolentia sit suffusus, quin haetenus exposita oculis usurpare dignatus artem tantopere desideratam posse Ampl. Dn. *Censorem* edocere. Mihi quidem dudum Magistro ac Informatori complurium Magistrorum, quorum quidam sola ætate atque experientia, fortassis nec eruditione nec munerum dignitate meo sunt Censore inferiores, ex unius accessione parum accreverit gloriæ. Possum præterea sorte mea vivere contentus, pace cum Deo perfui, dotibus qualibuscumque in me divinitus collatis inservire proximo, tandemque morte beatissima extremum vitæ diem confidere, sive Dn. Censori Magister habear, quod nullus posco, sive minus. Neque ulla flagrabo invidia, si, perpetuum sibi statuat *trophæum*, *Anim.* p. 10. l. 38. modo in posterum caveat, ne pœnas det Orthographiæ. *Tεόπταιον* enim quomodo generaret adspirationem? sine qua *tropæum* in antiquis codicibus lapidibusque vetustis exaratum comparet. *conf.* *Ger. Io. Vossii Etym. L. L.* p. 533.

XIX. Quod superest, sanctissime testor, ingentes juxta cum plurimis me illi habiturum esse gratias, sive exterus sive Hamburgensis fuerit Theologus, qui solidam dederit Resurrectionis ex solo rationis lumine, quod singula novisse coram Deo justa nondum etiam arbitror, demonstrationem. Quid enim optatius, quid utilius

DE CONTR.LAB, SEXT. ATQUE OCT. DISPP. ADSPER.

utilius accideret ? quam de arduo istiusmodi articulo per eviden-
tissima quoque rationis suffragia reddi certiorem. Docilem pol-
liceor animum & veritatis luculenter commonstratæ, quam hy-
pothesium, studiosiorem. Amico autem Censori meo majores
debebo grates, si viva malit voce, quam integris voluminibus, a se
ceptam componere controversiam. Hoc pacto exteri mirabun-
tur minus, inter binos loci ejusdem incolas, quorum alter s̄epissi-
me Cathedram conscendit, alteri vero nunquam opponendi copia
denegatur, scriptis de illo contendit themate, quod loco satis oppor-
tuno poterat decidi. Non erat aditus ad Gymnasium illi interclu-
sus, qui Octava Disputatione Iesus tantopere sibi videbatur, ut ca-
lamum prensaret. Neque bene dictis certatus poterat male au-
dire. Sin adversus me responsis prelo subiectis, quibus me prorsus
indignum agnosco, experiri stet sententia, credat molestiæ mihi
creatum iri minus, utpote qui nec alterius indigebo imploratione,
qui mentis cogitata stylo vestiat, nec Latinæ Grammaticæ delassan-
dus ero repetitione, quæ ab exercitatione per multa lustra scindit, si
ad Latine scribendum appellant animum, maxime necessaria est, ut ut
propter occupationes magis arduas molestissima, nec non cum ja-
ctura curarum, quæ animarum saluti debebantur, sic conjunctis-
sima.

Corollaria.

I. Robertus Bellarminus contradictionis rebus implicari potest. Etenim Pædobaptismum Apostolicam esse traditionem in S. codice scriptam, nunc affirmat, Lib.I.de Bapt.Cap.VIII.IX. nunc negat Lib.IV. de Verbo Dei cap. II.

II. Nec de verbis divinitus agitatorum errant, nec menti Spiritus S. con-
tradicunt, quotquot, cum B. Seb. Schmidio aliiisque non paucis, stylo Biblico
Archangelos non dari, affirmant. Quamobrem curiosæ prophetandi liberta-
tis possunt insimulari, convinci non possunt.

III. Hebræis, ab infima populâ si discedas, bina contradictoria simili
vera aestimari, a vero est alienum.

IV. Mutuas contradictiones, quibuscum Evangelicæ conflictantur Ec-
clesiæ, nullo jure Pontifici possunt iisdem exprobrare, quippe qui de rebus
Fidei gravissimis inter se dissident atque discordant.

S. D. G.

Coll. diss. A. 75, misc. 66